



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAESACRA ILLA AEDESIMAGO BEATAE VIRGINIS SUB TITULO
«SANCTA MARIA,
POPULORUM REGINA» SERVATA IN ECCLESIA LOCO VULGO DICTO PREVAL
IN ARCHIDIOECESI GORITIENSI, PRETIOSO DIADEMATE REDIMIRI
SINITUR «NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS» Ad perpetuam rei memoriam. – Sacra illa aedes, quae
loco vulgo dicto Preval in archidioecesi GoritienSI exstat, gratiosam imaginem Beatae Virginis sub titulo «Sancta Maria,
Populorum Regina» servat, quam Christifideles variarum nationum quingentos iam annos pie colunt caelestium gratiarum
copiam sibi suisque a Deo exposcentes. Nos igitur libenti animo obsecundare volumus precibus Venerabilis Fratris
Antonii Vitalis Bommarco, Archiepiscopi GoritienSI, atque comprobata sententia Congregationis de Cultu Divino et
Disciplina Sacramentorum, Apostolica Nostra potestate eidem Praesuli partes committimus ut imagini illi, Nostro nomine
et auctoritate, pretiosam imponat coronam, iuxta probatum liturgicum ritum. Confidimus sane Nos fore ut fideles illius
regionis ad Beatam Virginem Mariam colendam magis magisque incitentur. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. *Datum*
Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die primo mensis Martii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo
*decimo.*ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana